

conjectura fallit , ante octingentos annos , aut saltem septingentos , scriptus fuisse videtur , minutis ac rotundis characteribus . Ibi primo occurrit *Historia Anglorum* Auctore *Beda Presbytero* ; tum *Diētis Cretenſis de bello Trojano* , abſque Epiftola illa ad *Rufinum* , quae in editis habetur . Deinde ſequitur *Historiae Romanae Liber primus* . *Primus in Italia* , ut quibusdam placet , *regnavit Janus &c.* Haec ad *Eutropium* minime ibi nominatum ſpectant . Subinde annectuntur Libri a *Paulo Diacono* additi , & a *Miscellae* textu diverſi , ipſius etiam *Pauli* nomine omiſſo . Porro ex his conjunctis conficiuntur Libri *XVI.* deſinentes in mortem *Juſtini I. Auguſti* , poſt quem *Paulus* ſe loquutum pollicetur de Imperio *Juſtiniani I. Auguſti* ; ſed hic Liber ibi deſideratur . Poſt haec ejuſdem *Pauli* *Historia Langobardorum* legitur , deſinens in *Cap. LV. Lib. VI.* cum *Incipit Prologus Historiae Gothorum* , ſed tacito *Jordanis* , ſive *Jornandis* nomine , quod tamen recenti manu *Purcellius Vir Cl.* addidit . In fine habentur praeter ficſas *Senecae Epiftolas* ad *Paulum Apoftolum* *Geſta Apollonii Tyri* , Romanenſibus fabulis accenſenda . Hae autem non eadem manu , ac ſuperiora , atque adeo minus antiqua , ſcripta fuerunt .

Ceterum *Miscellae Historiae* dignitatem , atque utilitatem nihil attinet pluribus commendare . Habet ibi *Eruditorum* *Reſpublica univerſalis* *Historiae* , & *Romanae* in primis , atque *Italicae* continuatam ſeriem , collectaque in unum , quae ex aliis Aucto-ribus cum labore , & fruſtra interdum , petantur . Neque enim ideo parvi facienda eſt *Collectio* iſta , quod Auctorem habeat a floreſcente *Romanorum* *Reſpublica* remotum nimis . Nam & vetuſtiſſimus eſt ipſe conſarcinator , iisſque temporibus ſcripſit , quibus complures *Historiae* ſupererant , quarum irreparabilem interitum nos ſerius nati inani querela dolemus . Excidere proſecto tot *Livii* , *Taciti* , *Trogi Pompeji* , aliorumque *Chronographorum* Libri ; at fortaſſe non exciderant omnes , quum ad *Miscellam* concinnandam *Scriptor* iſte ſe contulit . Sicubi ergo nos deficiunt egregia veterum monumenta , ad illos confugere juvat , qui quamquam nonnullis poſt *Seculis* florere , veterum tamen *Libros* feliciter quam nos terere manibus potuerunt . Itaque *Miscellae* quoque ſuus honor futurus eſt , eamque , ubi vetuſtiores *Historiae* aut ſilent , aut inter ſe diſſentiunt , advocare teſtem , atque illius ope uti , erit eruditi ſimulque prudentis *Critici* . Edita autem haec *Historia* fuit *Pariſiis* anno *1531.* tum *Baſileae* anno *1569.* Prodiit deinde *Ingolſtadii* *Henrici Caniſii* cura cum variantibus lectionibus anno *1603.* , & cum emendationibus , & notis *Jani Gruteri* *Hanoviae* anno *1611.* Illata quoque eſt in *Tomum XIII.* *Bibliothecae Patrum Lugdunenſis* anno *1677.*